

1328 . . Item, ordinationem subsidii pro domino nostro summo pontifice et pro defensione sancte matris ecclesie que hiis diebus graviter gwerrarum impulsibus obruitur, faciendi, generale capitulum domino Cysterciensi et quatuor primis vocatis, quos voluerit, committit, ut eiusdem subsidii summas ordinent, terminos imponant, penas taxent, prout faciendum viderint in plenaria ordinis potestate. Item, preterea de pensione annua pro domino cardinali nostro per ordinem concedenda et aliis negociis in curia Romana exequendis et pro curia^a ibidem statuenda committit eisdem capitulum, ut pro predictis ordinent contributionem moderatam per ordinem faciendo, terminos imponendo, penas taxando in plenaria ordinis potestate.

Item, inprimis ordinis nostri generosa plantacio semper a sui creacionis exordio totis mentis conatibus caritatis mentes fovit lucusque et unitatem nutrit, sed proh dolor hiis diebus in multis personis ordinis adeo karitas refriguit et iniquitas habundavit, quod ipsa suspensa velud ignis impietas reiecta disciplina iusticie et observacione fidei relegata ordini suo gravissimas divisionis insidias dampnabiliter moliuntur, procurando sibi ipsis edictum per principes et dominos temporales fieri, ne ad generale capitulum, quod caritatis et unitatis monastice conservativum esse dinoscitur, veniant contribucionesque ordinis non solvant secundum ordinis instituta. Quapropter generale capitulum cupiens tante malicie salubriter obviare, irrefragabiliter, statuit et diffinit, quod quisque abbas ordinis per se vel per alium clam vel palam talium presumptione temporalium(?) et cal(l)iditate subdola^b presumpserit attemptare, eo ipso excommunicacionis sententia se senciatur innodatum.

Item, et quomodo, prout generali capitulo extitit nunciatum, dominus rex Anglie ad aliquorum^c qui, que sua sunt, querunt, et sacri ordinis unitatem infringere cupiunt, subieccionem necessariam abbatibus nostri ordinis in regno Anglie constitutis, ne ad generale capitulum veniant sed^d contribucionum summas eis impositas ab ordine solvant dicto regi, prohiberi curavit in ordinis grave preiudicium et gravamen, ideo generale capitulum ordinat et statuit quod per dominum Cysterciensem et quatuor primos solempnes nuncii ordinentur, qui se ad partes Anglie transferentes ex parte ordinis dicto domino regi et domine

a) Cod.: pro curiam (sic).
que qui. d) Cod.: seu.

b) Cod.: sub dolosa.

c) Cod.: qui-